

Optaret sibi quisque, meis contentus, honestos  
 Fascibus, & sellis nolim mihi sumere: demens  
 Iudicio vulgi, sanus fortasse tuo, quod  
 Nollem onus, haud unquam solitus, portare molestum.  
 Nam mihi continuè major querenda foret res;  
 Atque salutandi plures: ducendus & unus,  
 Et comes alter, uti ne solus rursus, peregreve  
 Exirem: plures calones, atque caballi  
 Pascendi: ducenda petorita. Nunc mihi curto  
 Ire licet mulo, vel si libet, usque Tarentum;  
 Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos;  
 Objiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tulli,  
 Cum Tiburte viâ Prætorem quinque sequuntur  
 Te pueri, lasanum portantes, anophorumque.

**â**: tã nobiles, & claros, quàm  
 eujusq; saltus, & ambitio ferret.

**Honestos fascibus.** Consulari,  
 vel Prætoria dignitate prædi-  
 tos. Consulibus enim, & Præ-  
 toribus, fasces à lictoribus,  
 præferbantur; his sex, illis  
 duodecim. Erant fasces, vir-  
 gatam, seu bacillorum, fa-  
 sciculus, quo in medio securis  
 extabat. Virgis minora deli-  
 eta, securi graviora plecteban-  
 tur: itaque fasces potestatis e-  
 rant insigne.

**Sellis.** Majoribus Magistra-  
 ribus licebat eburneam sellam  
 in curru gestare; in eaque, cum  
 Senatus habebatur, considere.  
**Res. Opes, suppellex, apparatus.**  
**Rus.** Suburbanam in villam.  
**Peregrè.** Procul iter lógin-  
 quum suscepturus.

**Calones.** Villiores servi, &  
 mediantini.

**Petorita.** Quædam vehicu-  
 la. Gallis usitata.

**Curto.** Qui caudam habet  
 decurtatam; vel, malè parvo.

**Tarentum.** Vrbs est in ex-  
 trema Italia, quâ Siciliã respi-  
 cit, ad sinum cognominem.

**Mantica.** Vidulum, pera,  
 quæ equo imponitur.

**Lumbos.** Tergum, humeros.

**Sordes.** Avaritiam, mores, &  
 sumpsum non parem dignita-  
 ti, ut Tullio objicitur.

**Tulli.** De quo egit, initio  
 Satyræ.

**Tiburte.** Quæ Tibur ducit.

**Lasanum.** Vas comparatum  
 ad urinam, aut ventris onus ex-  
 cipiendum.

**Oenophorum.** Vas vinarium.  
 Hog

Hoc ego commodius, quàm tu, præclare Senator,  
 Multis atque aliis vivo. Quæcumque libido est,  
 Incedo solus: percussor, quanti olus, ac far:  
 Fallacem Circum, vesperinumque pererro  
 Sæpe forum: assisto divinis: inde domum me  
 Ad porri, & ciceris refero, laganique catinum;  
 Cæna ministratur pueris tribus; & lapis albus  
 Pocula cum cyatho duo sustinet: adsit echinus  
 Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.  
 Deinde eo dormitum, non sollicitus mihi quod cras  
 Surgendum sit manè, obeundus Marsya, qui se  
 Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.

**Hog.** Ideo: eã re.

**Quanti.** Subaudi, vendatur.

**Circum.** Circus, erat Romæ  
 platea ingens, in qua currus  
 agitabantur, exercitationis, &  
 spectaculi causâ. In eum lo-  
 cum circulatorès, conjectores,  
 harioli, confluebant unde fal-  
 lax appellatur.

**Vesperinumque, &c.** Id est,  
 vesperi spatior in toro, seu pla-  
 tea.

**Assisto, &c.** Divinos, seu  
 hariolos, audio stans, cum ple-  
 becula.

**Lagani.** Laganum, oleris,  
 vel placentæ genus est.

**Pueris.** A servulis tribus.

**Lapis albus.** Nuda è saxo,  
 seu marmore, mensula, quæ  
 abaci vicem gerat.

**Pocula duo.** Alterum vini,  
 aquæ alterum. Cyathus verò,  
 erat vasculum exiguum, quo

ex his poculis, quantum placet,  
 ceret, hauriretur.

**Echinus vilis, &c.** Vas quod  
 dam rotundum instar echinæ,  
 ad manus abluendas, aut cy-  
 athos. Paterâ utebantur, ut li-  
 barent Diis in mensa.

**Echinus.** Vide Epod. 5.

**Guttus.** Vasculum, unde  
 guttatum acetum, oleumve de-  
 funditur.

**Campana.** Fictilis, ita dicta,  
 ob argillæ copiam, & bonita-  
 tem, in Campania Italica.

**Marsya.** Forum, in quo e-  
 rat statua Marsyæ; quem Ho-  
 ratius ait non tam dolere, quod  
 ab Apolline sibi pellis detracta  
 sit, quàm quod videre cogatur  
 minorem, aut legislatorem, vel,  
 ut alii malunt, sceneratorum  
 nequissimum.

*Ad quartam jaceo: post hanc vagor, aut ego lecto,  
Aut scripto, quod me tacitum juvet. Ungor olivæ,  
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.*

*Asi ubi me fessum Sol acrior ire lavatum  
Admonuit, fugio rabiosi tempora signi.  
Pransus non avidè quantum interpellat inani  
Ventre diem durare, domesticus otior. Hac est  
Vita solutorum misera ambitione, gravique.*

*His me consolor, victurus suavis, ac si  
Quæstor avus, pater atque meus, patruusque fuissent.*

*Ad quartam. Usque ad horam ab Sole orto quartam.*

*Lecto, scripto. Lectito, scriptito.*

*Juvet. Delectet, deceat. Ungor, &c. Ad vires firmadas, & valetudinem, sæpeangebantur oleo Romani.*

*Non quo, &c. Non vili oleo, quale est illud, quod Natta (vir erat quidam nobilis, at insignis avaritiæ) adhibet, è lucernis suis subductum. Oleum, quod lucernis inditur, graveo-*

*lens, & sordidum est.*

*Sol acrior. Meridianus.*

*Fugio. Æstum Caniculæ fugio, & balneis tempero.*

*Pransus, &c. Vbi prandii moderatè, & parcè, quantum sufficit ad impediendū quominus inani ventre per totum diem durè, & maneam; otiosus domi meæ quiesco.*

*Interpellat. Interrumpat incertiam diei integræ.*

*Quæstor. Qui ærarii curam habet.*

## S A T Y R A VII.

Describit rixam Rupilii, cognomento Regis, cum Græculo quodam, cui nomen Persius.

**P**roscripti Regis Rupilius, atque venenum Hybridæ quo pacto sit Persius ultus, opinor

*Proscripti. Ab Augusto cum olim Triumvir esset, inter proscriptos relati. Rupilius cum in Græciam se recepisset, necè fugitans, ad Brutum postea se contulit, sub quo fecit stipen-*

*diam cum Horatio; qui nescio quid ab eo contumeliæ passus, ei par hac Satyra refert.*

*Pus, atque venenum. Sordes, improbitatem, maledicentiam*

*Hybridæ. Patre Græco &*

*Omnibus & lippis notum, & tonsoribus esse.*

*Persius hic permagna negotia dives habebat*

*Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas.*

*Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem:*

*Confidens, tumidasque; adeo sermonis amari,*

*Sifennas, Barros, ut equis præcurreret albis.*

*Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque*

*Convenit (hoc etenim sunt omnes jure molesti,*

*Romana matre natus. Vocatur Hybridæ, qui ex diversæ nationis parçibus orti sunt.*

*Quo pacto, &c. Ordo est: opinor, notum esse omnibus lippis, & tonsoribus, quo pacto Persius Hybridæ sit ultus maledicentiam Rupilii.*

*Lippis. Lippi sunt admodum curiosi: quanto minus oculis, tanto plus auribus utuntur: apud tonsores autem cõvenire homines curiosi, & gerrones solent. Itaque res per vulgata, dicitur nota esse lippis, & tonsoribus; quasi eos nihil fugiat.*

*Clazomenis. Clazomenæ, urbs erat Asiæ minoris, ampla, & dives, in ea parte, quæ Jonia Asiatica dicebatur.*

*Cum Rege. Cum Rupilio, qui Rex cognominabatur.*

*Odio. Sermonis acerbitate, dicacitate importuna, audaciâ.*

*Sifennas, &c. Ut ea in re, & dote, longo intervallo superaret molestissimos quosque obtrectatores, vel ipsos Sifen-*

*nas, & Barros, qui erant famosi conviciatores.*

*Equis albis. Ducitur metaphorâ à Circensibus ludis: in quibus æmulos ii superabant qui equis velocioribus uterentur: equi autè albi vulgò putabantur omnium celerrimi.*

*Postquam, &c. Cum lites suas componere non possent, & inter se convenire, Persius, & Rupilius, ad Brutum Prætorè, qui tum Asiæ obtinebat, venerunt, litem eo iudice suam disceptaturi. Nam omnes molesti, id est, acres, & pugnaces litigatores, hoc sunt jure, hoc est, eodem jure, eadem ratione se gerunt, ac fortes, id est, duces magnanimi, qui inter se bellum gerunt, qui alteri nolunt concedere. Sic ira, que fuit, inter Hectorem Priami filium, & Achillem, ita capitalis extulit, ut sola morte ad extremum dirimere potuerit: nempe quia uterq; bellica virtute, & gloriâ præstabat. Contrâ verò,*

Quo fortes, quibus adversis bellum incidit. Interea  
Hectora Priamidem, animosumque inter Achillem  
Ira fuit capitatis, ut ultima divideret mors:  
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque  
Summa fuit. Duo si discordia vexet inertes;  
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedes  
Cum Lycio Glaucos; discedat pigrior, ultra  
Muneribus missis) Bruto Pratore veniente  
Ditem Asiam, Rupili, & Persi par pugnat; uti non  
Compositus melius cum Bitho Bacchius. In jus  
Acres procurruunt; magnum spectaculum uterque.  
Persius exponit causam; videtur ab omni

si duo inertes, & ignavi, aut certe duo dispares, id est, quorum alter altero fortior sit, dissideant, bello certent (quales fuerunt Glaucus, & Diomedes) qui amborum est inertior, is litem, & pugnam statim componet, missis æmulo muneribus, ad eum placadum. Non sic nostri pugiles, Rex, & Persius: sed instar Hectoris, & Achillis pugnant, obnixi non cedere, Brutum adeunt, &c.

**Glaucos.** Glaucus, juvenis ignavus, Regis Lyciæ filius, cum Trojanis auxilio venisset, commisso prælio, in Diomedem incidit, virum fortissimum, Græcorum ducem; cuius aspectu ita territus est, ut de pace statim egerit, ac Diomedem arma sua aurea, sumptis illius areis, dono dederit. Vide l. 6. Iliad.

**Pratore. Prætor, Magistratus**

erat juri dicendo præpositus. Brutus, & Cassius, eodẽ anno, quo Cæsar interfectus est, Prætores erant in Vrbe: Brutus à Senatu post paulo missus in Macedoniam est, ut ibi Prætoriam fungeretur; qui enim Romæ Consules, aut Prætores fuerat, finito Magistratus Urbani tempore, discedebant in Provincias, ut illas pro Consule, aut pro Pratore administrarent. In Macedonia Brutus in Asiam excurrit, ad colligendas contra Octavium Cæsarem copias. Ibi cum esset, adierunt illum Rex, & Persius.

**Uti non, &c.** Adeo ut Bithus, & Bacchius, famosi duo gladiatores, non sint melius compositi, & commissi, magis pares.

**Procurruunt.** Tanquam gladiatores in arena.

Con-

Conventu; laudat Brutum, laudatque cohortem:  
Solem Asæ Brutum appellat; stellasque salubres  
Appellat comites, excepto Rege: Canem illum,  
Invisum agricolis sidus, venisse: ruebat,  
Elumen ut hybernum, fertur quod rara securis.  
Tum Prænestinus falso, multumque fluenti  
Expressa arbusco, regerit convicia; durus  
Vindemiator, & invictus: cui sapẽ viator  
Cessisset, magnã compellans voce cucullum.

**Excepto Rege.** Qui, proscriptus ab Octavio, se Bruto adjuverat, & inter ejus comites, ac milites versabatur. Ceteros igitur comites Bruti stellas salubres appellat: Regem verò stellam exitialem, nẽpe Canem.

**Canem illum.** Subaudi, clamat; dicit illum Rupilium venisse, Cani Cælesti, Caniculæ, & Sirio, astro exitiali, & agricolis in viso, similem, ut omnia perderet. Virgil. de Sirio. *Alle sitim, morbosque ferens mortalibus agris nascitur.*

**Ruebat, &c.** Tantã celeritate perorabat, tam incondito impetu, & acerbitate tantã ferrebat, ut flumini esset hyberno, id est, hybernis aucto imbribus alicui torrenti simile; qui torrens fertur eò, quò raro venit securis; id est, per abrupta loca, & nemora invia præcipitat, quæ adire non possunt frondatores cum suis securi;

bus, ad arbores excindendas. **Prænestinus.** Rupilius. Præneste (quæ Vrbs Italiae est) natus.

**Salso, &c.** Rupilius regerit, id est, reponit, reddit Persio convicia, eaque salissima, & vino simillima; quod ex arbusco, id est, vite, exprimitur, sed recenti, & viridi vite, ac proinde amaro, quodque vocat. Vitis applicabatur arbusco, quibus niteretur: hic arbutum pro ipsa vite sumitur.

**Durus, &c.** Similis vindemiatori molesto, & pertinaci, quia viatores conviciis appetitos, & alia regerentes, silere tamen victos, & abire cogit.

**Cucullum.** Hæc avis fertur ova sua alieno nido imponere. Eadem nonnisi adulto, & vergente in ætatem vere canis unde factum est, inquit Plinius, ut vinitoribus, vitem serò pu-

Z 4

gan

*At Græcus, postquam est Italo perfusus aceto,  
Persius exclamat: Per magnos, Brute, Deos te  
Oro, qui Reges consueris tollere, cur non*

*Hunc Regem jugulas: operum hoc, mihi crede, tuorum est.  
tantibus cuculli nomine itera-  
to, desidia exprobratur.*

*At Græcus, &c. At Persius,  
homo Græcus, saltem paterno  
genere, ubi se amaris Rupilii,  
hominis Itali, conviciis, omni  
aceto acrioribus, prolutum vi-  
dit, exclamavit, &c.*

*Qui reges, &c. Junius Bru-  
tus, Tarquinio Rege Romano-*

*rum septimo exacto, Consul  
primus factus est. Ab eo duce-  
bat originem iste Brutus, qui  
Cæsarem, regnum affectatam,  
in Senatu peremerat.*

*Hunc regem. Rupilium, co-  
gnomento Regem.*

*Operum, &c. Hoc facinus ad  
te quoque pertinet; unum est  
ex operibus tuis.*

## S A T Y R A VIII.

*Priapum, hortorum custodem Deum, & præsidem,  
inducit querentem de Canidia, & Sagana venefi-  
cis; & quæ ab illis in horto suo intempesta nocte  
fiant, describentem.*

*Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:*

*Cum faber incertus scamnum, faceretne Priapum,  
Maluit esse Deum. Deus inde ego, furum, aviumque  
Maxima formido: nam fures dextra coercet:*

*Ast importunas volucres in vertice arundo*

*Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.*

*Ficulnus. Stipes ex ficu ar-  
bore. habebat in manibus.*

*Maluit, &c. Salsè ridet ina-  
nes Deos, eorumque simula-  
era: quò spectare tota hæc Sa-  
tyra viderur.*

*Deus. Subaudi, extiti, sum,  
Coercet. Falcem lignearum*

*Terret. Abigit, absterret.*

*Arundo. Ramus aliquis, aut  
pertica longior.*

*Novis. Nuper à Mecænate  
factis; qui partem Esquillarum  
emit, repurgavit, & hortos se-  
pulchreto fecit.*

Huc

*Huc prius angustiis ejecta cadavera cellis  
Conseruus vili portanda locabat in arca:*

*Hoc misera plebi stabat commune sepulchrum,  
Pantolabo scurra, Nomentanoque nepoti.*

*Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum*

*Hic dabat; hæredes monumentum ne sequeretur.*

*Nunc licet Esquiliiis habitare salubribus, atque*

*Aggere in aprico spatium; quo modo tristes*

*Albis informem spectabant ossibus agrum:*

*Huc prius, &c. In hunc, u-  
bi jam sum, hortum olim atte-  
rebantur servorum cadavera è  
suis angustiis cubiculis ejecta,  
& inclusa vili arcæ seu feretro:  
erat hic locus sepulchrum ple-  
bis, & hominum egentium;  
quales sunt scurræ, qui patria  
bona decoxerunt, ut Pantola-  
bus; & nepotes, seu ganeones,  
ut Nomentanus. Pauperum cor-  
pora sepeliebantur; divitum,  
remabantur.*

*Scurra. Suprà, sat. V.*

*Locabat. Vespilionibus por-  
tanda, certo pretio dabat.*

*Nepoti. Epod. Od. I.*

*Mille pedes, &c. Erat cip-  
pus, id est, lapis, erectus in agri  
limite, in quo scriptum erat  
mille agri pedes datos esse,  
(nempe ab aliquo cive, qui  
hoc sepulchrum egenæ plebi  
testamento reliquerat) in fron-  
te, id est, in ea parte agri, quæ  
viam tangebatur; alios trecentos  
in agrum, id est, in agri longi-*

*tudinem, & amplitudinè cam-  
porum extensos. Ideò cippus erat  
positus, ut hæredes hoc sepul-  
chretum intelligerent ad se nõ  
pertinere; ut esset divulsus, &  
exceptum ab reliqua heredita-  
te. Quando locum aliquem,  
vel rem aliam, publicè lega-  
bant, semper addebant hæc ver-  
ba: *Hoc hæredes non sequitur;* &  
istis compendiaris notis ute-  
bantur, *H. H. N. S.**

*Nunc, &c. Nunc iste locus  
sepulchretum non est: revulsus  
est cippus; jamque ibi sunt horti  
salubres, & apricus collis, ubi  
deambulare licet. Erat ea pars  
montis Esquilini, in qua horti,  
& domus Mecænatius.*

*Quo. In quo aggere, seu  
monte.*

*Modò. Paulò antè, non ita  
pridem.*

*Spectabant. Cives.*

*Ossibus. Vel servorum, qui  
ibi olim tumulati fuerant; vel  
reorum, qui eodè in loco sup-  
plicio*

Cum mihi non tantum furesque, feraque sueta  
 Hunc vexare locum, cura sunt, atque labori,  
 Quantum, carminibus, qua versant, atque veneni  
 Humanos animos. Has nullo perdere possum,  
 Nec prohibere modo, simul ac vaga Luna decorum  
 Protulit os, quin ossa legant, herbasque nocentes.  
 Vidi egomet nigra succinctam vadere palla  
 Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo,  
 Cum Sagana majore ululantem: pallor utrasque  
 Fecerat horrendas aspectu. Scalpere terram  
 Unguibus, & pullam diruere mordicus agnam  
 Ceperunt: cruor in fossam confusus, ut inde  
 Manes elicerent, animas responsa daturas.  
 Lanæ & effigies erat, altera cerea; major  
 Lanæ, qua panis compesceret inferiorem:  
 Cereâ suppliciter stabat, seruilibus, utque  
 plicio olim fuerant affecti.

Cum mihi. Nunc mihi non tantum negotii facessunt fures, ac fera, assuetæ in hunc locum venire, & illi incommodare, quantum præbent veneficæ, quæ suis incantationibus homines vexant, ac torquent.

Legant. Colligant.

Pallâ. Veste longiori.

Passoque capillo. Soluta, diffusio.

Majore. Fortè, quia senior; Vel quia major erat duarum fororum ejusdem nominis.

Scalpere terram. Vt scrobem facerent.

Pullam. Nigram.

Confusus. Temerè injectus, & raptim; cum humo ipsa

Manes, &c. Animas mortuorum evocarent; quæ interrogantibus veneficis responderent de futuro rerum eventu.

Panis compesceret. Puniret, ulcisceretur, torqueret ceream imaginem. Solent magi, & venefici ejusmodi è cera, vel lana, imagines condere, & in illis ea experiri omnia, quæ vis hominibus, quorum sunt illæ imagines, volunt evenire: v.g. cum urunt ejusmodi imaginem, uritur homo, &c.

Suppliciter. Supplicis in morem, ac servili modo, ut jam interficienda ab imagine lanæ.

Jam peritura, modis. Hecaten vocat altera; seram  
 Altera Tisiphonem. Serpentes, atque videres  
 Infernas errare canes: Lunamque rubentem,  
 Ne foret his testis, post magna latere sepulchra.  
 Singula quid memorem? quo pacto, alterna loquentes  
 Umbra cum Sagana, resonarent tristes, & acutum?  
 Utque lupi barbam, varia cum dente colubra  
 Abdiderint furtim terris; & imagine cerea,  
 Largior arserit ignis? & ut, non testis inultus  
 Horruerim vocem Furiarum, & facta duarum?  
 Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi  
 Diffusa nate ficus. At illa currere in urbem.  
 Canidia dentes, altum Sagana caliendum  
 Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis

Hecaten. Proserpinam. Ita vocatur, à voce Græca, quæ significat centum: quia centum victimis placari solebat, vel, quia centum varia nomina, & numina, seu potestates, habere dicebatur.

Alterâ. Canidâ.

Alterâ. Sagana.

Tisiphonem. Vnam è Furiis.

Errare canes. In horto, evocatas ex Inferis; solent Inferne canes Proserpinam comitari; angues Tisiphonem.

Rubentem. Quasi præ pudore tot scelerum erubescens.

Alterna. Alienis.

Varia. Maculosa: cujus pelliculis variis coloribus distincta.

Et imagine, &c. Et in cerea imagine magis ignis arserit; ut imago cerea igne subito ab-

lumpta fuerit.

Cereâ. Duarum hæc syllabarum, est.

Furiarum. Canidæ, & Sagana.

Displosa. Vel discussa, & rupta: vel potius, cum ventus, in ea compressus, per vim emittitur, & exploditur.

Ficus. Ego è ficu factus.

Currere. Cæperunt.

Dentes. Emptos, & appositos, quibus vetula uti solent, ut reparant amissos.

Caliendum. Comas adscititias, & alienas. Altum vocat: quia Romanæ mulieres comas solebant post verticem rejicere, & in modum turriculæ, seu racemi desinentis in acumen, componere.

Incantata. Quibus ureban-

*Vincula, cum magno risuque jocoque videres,*  
*tur ad suas incantationes, machiis cadere videres.*  
*gicis carminibus infecta, & Vincula. Fila, & funes, qui-*  
*devora. bus imagines illas suas vincie-*  
*Lacertis, &c. Ex carum bra-*  
*bant.*

## S A T Y R A IX.

Garruli cujusdam improbam loquacitatem fa-  
 cetè describit; & quàm ægrè se ab illo  
 expedièrit, narrat.

**I**bam fortè viâ Sacrà, sicut meus est mos,  
 Nescio quid meditans nugarum, totus in illis:  
 Occurrit quidam, notus mihi nomine tantum:  
 Arreptaque manu: Quid agis dulcissime rerum?  
 Suaviter, ut nunc est, inquam, & cupio omnia quavis.  
 Cum affectaretur. Numquid vis? occupo. At ille

*Viâ Sacrà.* Per quam ibatur  
 in forum Romanum, atque in-  
 de ad hortos Casaris: prope  
 quem locum manebat Horatii  
 amicus æger, quem invisebat.  
*Sacrâ dicebatur,* quia per eam  
 ibatur in Jovis Capitolini tē-  
 ptum. *Legè Donatum lib. II.*  
*cap. 12.*

*Sicut, &c.* Refer hoc ad ea,  
 quæ sequuntur, nugarum ali-  
 quid meditans: ut soleo; ver-  
 sus facticans: has enim suas  
 Poëtæ nugæ vocant.

*Totus, &c.* Animo toto, & co-  
 gnitione defixus in illis nugis.  
*Quid agis? Qui vales?*

*Dulcissime rerum.* Iste geni-  
 tivus rerum, hic abundat: sic  
 dicitur, minimè gentium.

*Suaviter.* Subaudi, ago, vi-  
 vo, valeo.

*Ut nunc est.* Ut quidè nunc  
 se res habent; in præsentia.

*Cupio omnia, qua vis.* Bene  
 tibi omnia, & ex voto cupio  
 evenire: formula salutandi.

*Occupo.* Prior illum sic allo-  
 quor: Numquid me vis? an in-  
 diges aliquâ meâ opera? Istis  
 vocibus, *numquid vis?* eos ju-  
 bebant Latini valere, quibuscū  
 aliquandiu constitissent: abeun-  
 tium erat hæc formula.

Nō

*Nōris nos, inquit; docti sumus.* Hic ego, pluris  
*Hoc, inquam, mihi eris.* Misere discedere quærens  
*Ire modo oculus, interdum consistere, in aurem*  
*Dicere nescio quid puero: cum sudor ad imos*  
*Manaret talos. O te, Bollane, cerebri*  
*Felicem, aiebam tacitus. Cum quidlibet ille*  
*Garriret, vicos, Urbem, laudaret; ut illi*  
*Nil respondebam; Misere cupis, inquit, abire,*  
*Jam dudum video; sed nil agis, usque tenebo,*  
*Persequar: hinc quò nunc iter est tibi? Nil opus est te*  
*Circumagis; quemdam volo visere, non tibi notum:*  
*Trans Tiberim longè cubat is, propè Casaris hortos.*  
*Nil habeo quòd agam, & non sum piger; usq; sequar te.*  
*Demitto auricularas, ut iniqua mentis a sellus,*

*Nōris, &c.* Id cupio, ut me  
 noscas: homo sum doctus, &  
 litterarum, ut tu, amans.

*Hic ego, &c.* Tum ego: hoc  
 nomine, eam ob rem, pluris  
 te faciam.

*Misere.* Anxiè, vehementer:  
*Ire Subaudi,* cœpi.

*Puero. Servo.*  
*O te, &c.* Næ tu felix es;

Bollane, qui molestos illos tam  
 placidè ferre soleas; cujus ce-  
 rebrum non obrundatur eorū  
 loquacitate, ut meum. Bolla-  
 nus erat civis Romanus; eâ  
 tempestate notus ob insignem  
 lenitatem, & facilitatem. Por-  
 rō, cerebri felix, dicitur, ut inte-  
 ger vita, purus sceleris: Helle-  
 nismus.

*Ut illi, &c.* Cum illi nihil

responderem.

*Nil agis.* Nihil proficis.

*Usque tenebo.* Semper: a tu  
 latere non discedam.

*Nil opus est te, &c.* Verba  
 sunt Horatii: Noli, quæso, te  
 vexare, me prosequendo, &  
 huc illuc frustra circumcurfare  
 mecum.

*Casaris hortos.* Erant illi ci-  
 tra Tiberim, in Vrbs regione  
 decimâ quartâ; à Julio Casare  
 populo legati fuerant publicè.  
*Demitto auricularas.* Plin. lib.

II. c. 37. *In omni Jumentorum*  
*genere indicia animi præferunt*  
*aurès, fessis marcidæ, micantes*  
*pavidis, subrecta furentibus,*  
*resoluta agris.* Tertius igitur  
 hac denunciatione garruli Ho-  
 rati, & exanimatus est.

Cum

*Cum gravius dorso subit onus. Incipit ille?*  
*Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,*  
*Non Varium facies: nam quis me scribere plures,*  
*Aut citius possit versus? quis membra movere*  
*Mollis? invidet quod & Hermogenes ego canto.*  
*Interpellandi locus hic erat. Est tibi mater,*  
*Cognati, quæ te salvo est opus? Haud mihi quisquam;*  
*Omnes composui. Felices! nunc ego resto;*  
*Confice; namque instat fatum mihi triste, Sabella*  
*Quod puero cecinit, divinâ motâ anus urnâ.*

*Iniqua, &c.* Qui sarcinam  
 graviorem malitiosè conatur  
 excutere.

*Viscum, &c.* Viscus, & Va-  
 rius, erant insignes Poëtæ, Ho-  
 ratii amici.

*Pluris facies.* Subaudi, quàm  
 me.

*Movere.* Saltando.

*Invidet, &c.* Ordo est ego  
 quoque canto quod invidet  
 Hermogenes, id est, tam bel-  
 lè cano, ut ille mihi jure in-  
 videre possit. Erat Hermoge-  
 nes insigni voce, & musicæ pe-  
 ritissimus.

*Interpellandi, &c.* Ex iis  
 laudibus, quas arrogabat sibi  
 garrulus, videbar, inquit Ho-  
 ratius, occasionem idoneam  
 nactus esse illum interpellan-  
 di: & sermonis ejus molesti in-  
 terrumpendi, rogandique, ut  
 sibi, & valetudini suæ consule-  
 ret, ne se defatigaret mecum  
 cursitando; esse debere illius

vitam, & valetudinem curam;  
 ac necessariam cognatis, & a-  
 micis: peto igitur ab eo, an ma-  
 trem habeat, &c. Nemo, inquit  
 ille, mihi est: omnes jam sepe-  
 livi. O illos beatos! ait Hora-  
 rius: nunc resto, à te, ut illi,  
 sepeliendus: perge, absolve  
 quod tam bellè cepisti, me-  
 cum illis quoque interfice: hoc  
 tua garrulitate hodie efficies.

*Composui.* In phæretro, vel  
 rogo posui. Proprium verbum  
 exequiarum.

*Sabella anus.* Anus fortile-  
 ga, & divinandi perita, fortè  
 Horatii nutritrix. Sabini porro,  
 iidem qui Sabelli, erant Italicæ  
 populi, de quibus sæpè dictum  
 antea.

*Puero.* Mihi.

*Divinâ urnâ motâ.* Postquam  
 anus illa agitasset urnam sati-  
 dicam, in quam sortes conje-  
 cerat, quibus eductis divina-  
 rei futura, & prædiceret.

*Hinc*

*Hinc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,*  
*Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagras*  
*Garrulus hunc quando consumet cumque loquaces,*  
*Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit ætas.*

*Ventum erat ad Vesta, quartâ jam parte diei*  
*Præteritâ, & casu tunc respondere vadato*  
*Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.*

*Si me amas, inquit, paulum hinc ades. Inteream, si*  
*Aut valeo stare, aut novi civilia jura;*

*Et propero quod scis. Dubius sum quid faciam, inquit;*  
*Tene relinquam, an rem. Me, sedes. Non faciam, illos*  
*Et præcedere cepit. Ego, ut contendere durum est*  
*Cum viatore, sequor. Mecenas quomodo tecum?*

*Hinc repetit. Paucorum hominum, & mentis bene sana*  
*Nemo dexterius fortunâ est usus. Haberes*

*Hunc.* Puerum, Horatium.

*Quandocumque.* Aliquando.

*Vesta.* Subaudi templum:  
 erat in foro Romano.

*Quartâ, &c.* Post horam à  
 sole orto quartam.

*Casu.* Fortè.

*Vadato.* Alicui, qui cum erat  
 vadatus, id est, à quo admoni-  
 tus fuerat, & coactus sistere se  
 judici, horâ constitutâ.

*Si me amas.* Hæc vocula, me,  
 non eliditur, & fit brevis, ob  
 sequentem vocalem brevem.

*Ades.* Mecum in jus veni: ut  
 meam tua saltè præsentia causâ  
 adjuves. Ego verò, inquit Ho-  
 ratius, dispeream, si valeo stare;  
 id est, adesse tibi in judicio: sta-  
 bant enim ante Prætoris tribu-  
 nal; neq; illic licebat sedere.

*Quo scis.* Ad hortos Cæsaris.  
*Rem.* Litem meam.

*Sedes.* Oro te: vox rogantis  
 quidpiam, & blandientis, facta  
 ex, si, &, audes.

*Ille.* Subaudit, ait.

*Tecum.* Subaudi, agit, vivit.  
*Hinc repetit.* Ab hoc exor-  
 dio sermonem intermissum re-  
 petit, ac resumit.

*Paucorū hominum, &c.* Pau-  
 cis familiarem se præbet; hoc  
 Horatius dicit.

*Nemo, &c.* Voces garruli:  
 nemo callidius bonâ fortunâ  
 usus est, quàm tu, qui Mecæ-  
 natem ita devincire tibi potui-  
 sti, & inter illos, quibus utitur,  
 paucos, esse.

*Haberes, &c.* Sententia est;  
 si hunc hominem, id est, me,

(se-